techumenorum, in pectore, & scapulis quasi athleta; in pectore ad rectè credendum, & sanctè cogitandum; in scapulis ad Christi jugum fortitèr portandum, & bona opera exercenda. 3. Interrogatur a Sacerdote: *Credis in Deum?* cui ille respondet *Credo*, ut fidem suam solemnitèr profiteatur, juxta illud Christi Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* 4. Petit Sacerdos a baptizando, nùm baptizari velit; quo annuente, vel ejus nomine Patrino, baptizatur: quia, sicùt homo voluntariè serpenti obediendo damnatus est, ità Deus neminem vult suæ adscribi militiæ nisi volentem, ut divinam Legem sponte servans vitam consequatur æternam.

Baptismo absoluto, (*Ibid.*) 1. Sacerdos verticem baptizati chrismate inungit, ut intelligat se jam Christo capiti tamquàm membrum conjunctum esse, & ea re Christianum a Christo, Christum verò a chrismate appellari. 2. Olim admittebatur baptizatus ad osculum pacis in signum unionis, & fraternitatis. (*Ibid. ad 3.*) Itèm in signum gloriosæ resurrectionis, & innocentiæ acceptæ induebatur veste alba, quam deferebat usquè ad octavam Paschæ, & indè dicta est Dominica *in albis* ab albedine vestis, quæ hac die deponebatur. Itèm porrigebatur lac, & mel gustandum in signum novæ infantiæ: undè in eadem Dominica *in albis* cantatur in introitu Missæ illud ex Epist. S. Petri: *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* 3. Nunc etiam datur baptizato cereus accensus, ut intelligat fidem charitate inflammatam, quam in Baptismo accepit, studio bonorum operum esse alendam, & augendam, inquit Catech. Rom.

Has cæremonias pro majori parte carpunt, & damnant Lutherani, & Calvinistæ: sed immeritò; habent enim, ut dictum est, suas significationes, & effectus, reverentiam conciliant Sacramento, erudiunt imperitos, & mentes ad cœlestia erigunt. Insupèr sunt antiquissimæ. Exorcismorum meminit S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Tertull. de præscript. c. 41. S. Cypr. Ep. 2. S. Cyrillus Catechesi 1. Ambros. l. 1. de Sacram. cap. 3. Exsuflationum Ambros. l. de iis, qui initiantur c. 1. Aug. l. de peccato orig. c. 40. contra Jul. c. 5. Salis degustandi Origenes homil. 6. super Ezech. Conc. Carthag. 3. Can. 5. Isidorus l. 2. de Offic. c. 20. Aug. l. 1. Conf. c. 11. Linitionis narium, & aurium Ambros. l. 1. de Sacram. c. 1. & de iis, qui initiantur c. 1. & Ordo Rom. Inunctionis olei in pectore, & scapulis, deindè unctionis chrismatis in vertice S. Clemens l. 3. Recognitionum, S. Chrysost. hom. 6. in c. 2. Epist. ad Coloss. S. Cyrillus Catechesi 2. S. Ambros. l. 1. de Sacram. cap. 2. & l. 2. cap. 7.

TRACTATUS
DE CONFIRMATIONE.
D. Thom. Quæst. 72.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ
DE CONFIRMATIONE
EX CONCILIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini (*Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Thom. opusc. 5.*) pro instructione Armenorum.

„SEcundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est „Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat cons„cientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per „Episcopum benedicto. Forma autèm est: Signo te signo crucis, „& confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & „Spiritûs S. Ordinarius Ministes est Episcopus. Et, cùm cæteras „unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Epis„copus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vi„cem tenent Episcopi, quod per manûs impositionem Spiritum S. „dabant, quemadmodùm Actuum Apostolorum (*Act.* 8.) lectio „manifestat. *Cum autèm audissent*, inquit, *Apostoli, qui erant „Hierosolymis, quòd recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt „ad eos Petrum, & Joannem. Qui tum venissent, oraverunt pro „ipsis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam il„lorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini „Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spi„ritum S.* Loco autèm illius manûs impositionis datur in Ecclesia „Confirmatio. Legitur tamèn, aliquandò per Apostolicæ Sedis dis„pensationem ex rationabili, & urgente admodùm causa, simpli„cem Sacerdotem chrismate, per Episcopum confecto, hoc admi„nistrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autèm hujus Sa„cramenti est, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, sicut datus „est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicèt Christianus audac„tèr Christi confiteatur nomen. Ideòque in fronte, ubi verecun„diæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confi„teri erubescat, & præcipuè crucem ejus, *qui Judæis quidem est „scandalum, Gentibus autèm stultitia*, secundum Apostolum „(1. *Cor.* 1.) propter quod signo crucis signatur.

Canones Concilii Tridentini (*Sess. 7. 3. Martii 1547. sub Paulo III.*) de Confirmatione.

„*I.* SI quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam cæ„remoniam esse, & non potiùs verum, & proprium Sacra„mentum; aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim quam„dam, qua adolescentiæ proximi fidei rationem coram Ecclesia „exponebant, anathema sit.

„*II.* Si quis dixerit, injurios esse Spiritui S. eos, qui sacro „Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

„*III.* Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Mi„nistrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sa„cerdotem; anathema sit.

DISSERTATIO UNICA.
DE OMNIBUS, QUÆ HOC SACRAMENTUM SPECTANT.
ARTICULUS I.
Utrùm Confirmatio sit Sacramentum?

CONfirmatio, secundum varias rationes considerata, varia nomina sortita est. Ratione materiæ dicta est *Manûs impositio, unguenti mysterium, Sacramentum chrismatis, & unctionis, chrisma salutis*: ratione formæ, *signaculum*: ratione effectûs, *perfectio, consummatio, Sacramentum plenitudinis*, communiter *Confirmatio*; quia per illud Sacramentum baptizati confirmantur, & roborantur in fide.

Deniquè communitèr: *Signum sensibile, quo baptizatus a legitimo Ministro chrismate in fronte ungitur sub præscripta verborum forma.* Ab aliis, qui abstrahunt a materia, & forma, de quibus est controversia inter Theologos, definitur: *Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis confertur gratia firmans, & roborans ad profitendam fidem Christianam.* Patebunt istæ definitiones ex dicendis.

Novatiani, si Theodoreto l. 3. hæret. fab. fides est, negarunt Confirmationem esse Sacramentum. Alii tamèn volunt Novatianos solùm neglexisse, at non negasse Confirmationem. Hunc errorem quidam tribuunt Waldensibus, Wiclefistis, & Hussitis; at neque id certò liquet. Constat, Lutheranos & Calvinistas hoc Sacramentum rejicere, illudque enormibus blasphemiis impetere. In hujus impugnationem tres integros libros composuit Minister Dallæus. Contra quos

Dico. (*Hic q. 72. art. 1. o.*) Confirmatio est verè & propriè novæ Legis Sacramentum. Est de fide, definita à Concilio Flor. in Decreto unionis, & Trid. sess. 7. Can. 1. de Sacram. in genere; & specialitèr Can. 1. de Confir. his verbis: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quàm Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei sui rationem coràm Ecclesia exponebant; anathema sit.* Itèm Can. 2. ibid. Hanc definitionem hauserunt sacræ Synodi ex Scriptura, & Traditione. Undè Prob. 1. ex Scriptura. Act. 8. sit legitur: *Cùm audiissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd Samaria recepisset verbum Dei* (per Philippum Diaconum) *miserunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* Et c. 19. *His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos, & loquebantur linguis, & prophetant.* Ex his sic arguo. Illud est verum & proprie dictum Sacramentum, quod est 1. signum sensibile: 2. collativum gratiæ: 3. divinitùs institutum: 4. permanens & perpetuum; hæc enim quatuor constituunt verum Sacramentum, ut patet ex alibi dictis; atqui manûum impositio, de qua in Actibus Apostol. est talis: ergo. Prob. Min. 1. Est signum sensibile, ut patet. 2. Est gratiæ collativum; constat enim, per Spiritum, ubi agitur de effectibus Sacramentorum, intelligi gratiam sanctificantem. 3. Est divinitùs institutum; non enim Apostoli habebant potestatem instituendi signa infallibiliter gratiæ collativa, cùm id pertineat ad potestatem excellentiæ, quæ erat propria Christo. 4. Est permanens & perpetuum; ut patet ex constanti usu Ecclesiæ ab Apostolis usquè ad nos: ergo Huic argumento multa reponunt Hæretici, quæ diluemus in sol. Obj.

Prob. 2. Traditione. Sed anteà observandum, Dallæum contendere impositionem manuum & unctionem, de quibus fit mentio apùd antiquos, esse cerémonias Baptismi ab Ecclesia institutas; ut unctionem baptismalem & confirmatoriam apùd veteres unam & eamdem esse; hocque effugio arbitratur, solvi argumenta ex Traditione petita contrà ipsum; & ideò illud non semèl præocupabimus. Itèm observandum est, antiquitùs Confirmationem & Eucharistiam plerumquè conferri statim pòst Baptismum. His observatis, traditionem hanc ex quadruplici capite communitèr eruunt nostri Theologi, ex summ. Pontific. ex Conciliis, ex Patribus, & ex perpetua Ecclesiæ praxi. Itaquè

Ex summ. Pontificibus. S. Clemens quartus S. Petri Successor, seu antiquissimus Auctor Const. Apost. l. 3. c. 16 de baptizatis ait: *Et posteà Episcopus baptizatos ungat chrismate.* S. Cornelius antè ann. 255. Epist. ad Fabian. apùd Euseb. l. 6. cap 35. ait de Novato; *eum, postquàm à morbo liberatus fuit*, (propièr quem in lecto baptizatus fuerat) *reliqua non percepisse, quæ juxtà Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatum fuisse. Hoc autem signaculo minimè perceptò, quomodò Spiritum potuit accipere?* Per hoc autèm signaculum non potest intelligi cæremonia Baptismi, cùm conferret Spiritum S. quod cæremoniæ ab Ecclesia institutæ non competit, & esset à solo Episcopo recipiendum, quod de simplici Baptismi cæremonia dici nequit. Innoc. I. ineunte sæc. 5. Ep. ad Decentium, quæ extat tom. 2. Conc. Lab. col. 1246, sic loquitur c. 3. *De consignandis verò infantibus, manifestum est non ab alio, quàm ab Episcopo, fieri licere. Nàm Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatûs tamèn apicem non habent. Hoc autèm Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostol. quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S. Nàm Presbyteris, seu extrà Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamèn fronte ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Refertur c. *Presbyteris* de cons. d. 4. Palmaris est hæc auctoritas contrà Dallæum: ex ea enim constat 1. unctionem confirmatoriam, quæ fieri debet in fronte & ab Episcopo, esse distinctam ab unctione baptismali, quæ fit in vertice & à simplici Sacerdote. 2. impositionem manuum, de qua Act. 8. esse eamdem, quæ observabatur tempore Innocentii. 3. hanc impositionem & unctionem non esse meras cæremonias Ecclesiasticas, cùm confetant Spiritum S. quod cæremoniæ Ecclesiasticæ non competit.

S. Leo Ep. 88. ad Germ & Gall. Episcopos, scripta ann. 445. inter ea, quæ prohibentur Chorepiscopis, recenset *chrisma conficere, & chrismate baptizatorum frontem signare.* Et serm. 4. de Nativ. *Permanente stabiles in fide, quam confessi coràm multis testibus, & in qua renati per aquam, & Spiritum S. accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.* In his patet, S. Leonem loqui de chrismatione, non ut de cæremonia baptismali, quæ Chorepiscopis non prohibetur, sed de Sacramento distincto a baptismate. S. Greg. Magn. desiniente 6. sæc. Ep. ad Januar. 9. l. 4. *Presbyteri*, inquit, *baptizando ungant in pectore, ut Episcopi postmodùm ungere debeant in fronte.* Ep. 45. libr. 10. mandat Elusino Episcopo, *ut officium visitationis impendat, ut ii, qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere.* Et in Sacramentario, in ordine Sabbathi præscribit ritum administrandæ Confirmationis, distinguitque ejus unctionem, qua Pontifex *tincto pollice* in chrismate facit crucem in fronte, ab unctione, quam Presbyter facit in vertice.

Innocent. III. cap. *Cum venisset*, Extra libr. 1. tit. 15. *Per frontis chrismationem*, inquit, *manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritûs S. ad augmentum datur, & roboratur. Undè, cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos, id est, Presbyter, valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, quod per manuum impositionem Spiritum S. dabant, quemadmodùm Actuum Apost. lectio manifestat.* Hinc iterùm habes non meram cæremoniam Ecclesiasticam, non unctionem indistinctam a baptismali, sed verum Sacramentum a baptismate distinctum gratiæ distinctæ collativum, scilicèt ad robur; a Ministro distincto, scilicèt solo Episcopo, conferendum; & idem cum Sacramento, quod frequentabant Apostoli, dum per impositionem manuum conferebant Spiritum S.

Ex Conciliis. Conc. Eliberit. ann. 305. vel juxtà alios 315. Can. 38. decernit, ut, qui navigans in necessitate baptizatus fuerit, *Si supervixerit, ad Episcopum perducatur, ut per manûs impositionem perfici possit.* Laodicen. ann. 363. Can. 48. *Oportet eos, qui baptizantur, pòst lavacrum chrisma Ecclesiæ accipere, & regni Christi participes fieri.* Perficere autem & participem Regni Christi facere, non pertinet ad cæremoniam Ecclesiasticam. Conc. Hispalense ann. 619. c. 7. enumerans ea, quæ non licet simplicibus Presbyteris administrare, dicit: *Non per impositionem manûs fidelibus baptizatis, conversis ex hæresi, Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare.* Ubi iterùm Sacramentum aliud à Baptismo conferens Spiritum S & ab Episcopo ministrandum. Lege insupèr Conc. Araus. ann. 441. Can 2. Arelat. 3. ann 445. Cabilon. 2. ann. 813. Paris. 6 ann 819. De Florent & Trid. diximus.

Ex patribus. S. Dionysius Apostolis coætaneus de Ecclesiast. Hier. c. 2. *Baptizatum*, inquit, *indutum veste alba ad Pontificem ducunt: ille divino ac deifico unguento virum signat.* Et c. 4. *Quin etiam ei, qui sanctissimæ divinæ regenerationis lavacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur.* Porrò unctio Episcopo reservata, superveniens Baptismo, & elargiens Spiritum S. non est nuda Baptismi cæremonia, sed Sacramentum ab eo distinctum. S. Irenæus, proximus Apostolis l. 1. adversùs hæreses c. 18. de Gnosticis, imitantibus ritus Ecclesiæ, dicit, baptizatos ab eis inungi *Opobalsamo.* Tertull. qui floruit 2. sæc. l. de Bapt. c. 7. sic scribit: *Exindè egressi de lavacro perungimur benedicta unctione... In nobis carnalitèr currit unctio, sed spiritualitèr profecit; quomodò & ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur, spiritualis effectus, quòd delictis, liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum S.* En apertè Sacramentum distinctum à Baptismate, & ejus cæremoniis. Sed apertiùs l. de Resurr. carnicis c. 8 ubi dicit: *Caro abluitur, ut animam emaculetur.* En Baptismus. *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manûs impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* En Confirmatio cum sua materia adæquata, scilicèt, unctione & manum impositione. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo sanguinetur.* En Eucharistia.

S. Cypr. qui Martyr. occubuit ann. 258. Ep. 73. ad Jubai loquens de impositione manuum, facta à Petro & Joanne super Samaritanos baptizatos à Philippo Diacono, dicit, apùd nos idem fieri: *Quod nùnc quoquè*, inquit, *apùd nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Glosa non indiget. Legendus itèm Ep. 7. ad Januar. Eodem sensu loquitur Firmilianus Ep. ad Cypr. inter Cyprianicas 73. S. Cyrillus Jeros. 4. sæc. Catechesi 3. *Et vobis*, inquit, *postquàm ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod gerit imaginem illis, quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus S... vos verò uncti estis unguento, facti participes & consortes Christi.* Plura alia in ista Catechesi, quæ tota est de Confirmatione, dicit, & adeò

aleò aperta, ut Kemnitius Sacramentum Confirmationis appellaverit *Chrisma Cyrillianum*. S. Ambrosius de Mysteriis c. 6. *Pòst hæc*, inquit, *utiquè ascendisset ad Sacerdotem: considera quid secutum sit: nomen illud, quod ait David: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aron.* L. 2. de Sacram. cap. 7. *Ergo meristi, venisti ad Sacerdotem. Quid tibi dixit? Deus, inquit Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu S. concesitque tibi peccata tua ipse te ungat in vitam æternam.* Per Sacerdotem autèm intelligit Ambrosius Episcopum, ut constet ex inspectione locorum. S Hieron. in Dialogo contrà Lucifer. Luciferino, dicenti *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis manus imponantur, & ita invocetur Spiritus S.?* Respondet: *Non quidèm abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizatis sunt, Episcopus ad invocationem Spiritûs S. excurrat.* Addit, *baptizatos in Ecclesia nisi per manus Episcoporum non accipere Spiritum S.* Hæc clara sunt.

Chrisostomus Hom. 18. in Acta Apost. de Philippo Diacono ait: *Ideò baptizans Spiritum S. non dabat, neque facultatem habebat; hoc enim donum solorum Apostolorum erat.* Et infrà *Virtutem quidèm acceperant faciendi signa, non autèm dandi aliis Spiritum S. Igitùr hoc erat in Apostolis singulare; undè & præcipuos, & non allio videmus hoc facere.* Non ergo Baptismus neque cæremonia Baptismi: hæc enim conferendi habent facultatem simplicitèr Presbyteri. Aug. lib. 2. contrà Litt. Petil. cap. 104. *In hoc unguento* inquit, *Sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidèm in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicùt ipse Baptismus.* Non est ergo Baptismus nec cæremonia Baptismi, sed Sacramentum à Baptismo distinctum. L. 15. de Trinit. cap. 26. postquàm dixit, Apostolos imponendo manus dedisse Spiritum S. addit, *eumdem morem in suis Præpositis etiam nùnc servare Ecclesiam.* Et in Psalm. 141. *Multa*, inquit, *Sacramenta alitèr atque alitèr accipimus. Quædam, sicùt nostis, ore accipimus.* Et hoc est Eucharistia. *Quædam per totum corpus accipimus.* Et hoc est Baptismus per immersionem. *Quædam in fronte per signum Crucis.* Et est, ut patet, Confirmatio. Ab aliis Patribus recensendis supersedeo, ne tædiossus sim. Illos longa serie commendatos secundùm ordinem temporum habes, cùm Hæreticorum responsis solutis, apùd Perfectorem Caroli Witasse Tom. 1. de Conf.

Tandèm ex constanti & perpetua Ecclesiæ praxi. Illam autèm probant non solùm quæ hùc usquè diximus, sed etiam omnia Ritualia antiqua tàm Græca, quàm Latina, & quotquot de Officiis Ecclesiasticis scripserunt: S. Greg. in Sacramentario, Ordo Rom. antè sæc. 9. editus, Strabo, Amalarius, Alcuinus, &c. atque indè confirmatur, quòd Hæretici non possint assignare, quis primus hunc ritum Sacramentis annumeravit: juxta enim Aug. regulam communitèr receptam libr. 2. de Bapt. cap. 7. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed sempèr retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur.* Quod autèm tradi lerint Apostoli, inquit alibi, à Christo acceperunt.

Solvuntur objectiones Hærticorum.

OBJ. 1. contrà 1. Prob. ex Scriptura Impositio visibilis manuum facta ab Apostolis, de qua in Act. non erat signum permanens, sed erat privilegium ad tempus Apostolis datum conferendi, nascente Ecclesia, gratias gratis datas: ergo. Patet Ant. Quia nùnc impositio manuum facta ab Episcopis non confert ampliùs dona linguarum, prophetiæ, miraculorum, ut tempore Apostolorum: ergo. R. N. Ant. Id enim, quod nùnc usurpant Episcopi ad conferendam gratiam roboris & fortitudinis, esse prorsùs idem, quod legimus in Actis Apost. testatur Cypr. Ep. 73. ad Jubai. *Quod nùnc quoquè apud nos geritur*: & Aug. 15. de Trinit. dicens, *eumdem morem in suis Præpositis etiam nùnc servare Ecclesiam.* Vide textus integros intèr probationes Conclusionis. Ad Prob. N. Conseq. quia Impositio manuum tùnc non fiebat solùm ad conferendas gratias gratis datas, sed principalitèr ad conferendam gratiam sanctificantem, quam confert adhùc modò.

Inst. 1. Spiritus S. de quo in Act. Apost. non erat gratia sanctificans, sed tantùm gratiæ gratis datæ: ergo. Prob. Ant. tum ex illo Joëlis 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri.* Tùm quia frequentèr legitur in ipsis Actibus, quod, qui accipiebant Spiritum S linguis loquerentur, prophetarent &c. ergo R. N. Ant. Fatemur quidèm, initio nascentis Ecclesiæ non rarò fuisse collatas in Confirmatione gratias gratis datas, quia erant tùnc necessariæ ad commendationem fidei rudis, & primordia Ecclesiæ dilatapda, ut loquitur Aug. l. 3. de Bapt. cap. 16. per quod satisfit Probationibus Antecedentis. At negamus, has solas & sempèr fuisse collatas. Non sempèr; dicit enim Apost. 1. Cor. 12. *Numquid omnes linguis loquuntur?* Non solas; quia primariò principalitèr & universalitèr conferebatur ritè dispostis gratia sanctificans. Conferebatur namquè Spiritus S. ut loquuntur Acta; solæ autèm gratiæ gratis datæ sine gratia sanctificante nunquàm in novo Testamento dicuntur simpliciter & absolutè Spiritus S. Itèm conferebatur Spiritus S. quem Christus promiserat Joann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraeletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Hic autèm Spiritus manens nobiscum in æternum est Spiritus sanctificans, non gratiæ gratis datæ, quæ non diù durarunt, & quæ possunt reperiri in peccatoribus in quibus Spiritus S. non manet. Matth. 7.

Inst. 2. Samaritani jam receperant à Philippo gratiam sanctificantem: ergo Spiritus S. seu gratia, quam receperunt per manus Apost. non erat gratia sanctificans, sed gratis data. R. N. Ant. Samaritani jam receperant a Philipo gratiam sanctificantem regenerativam, C. roborativam & confirmativam, N.

Inst. 3. Adventus Spiritûs S. in Samaritanos exprimitur in Scriptura voce græca, quæ significat, *supercado, irruo*, ideòque descensum violentum & vehementem, quo exprimitur in Scripturis donatio spiritûs prophesici, non donatio spiritûs sanctificantis, qui est lenis & suavis: ergo. R. 2. Hac voce greca, justà linguæ peritos, non solùm significari *irruere*, sed etiam *illabi*. Primum convenit dono prophetiæ; secundum Spiritui sanctificanti. 2. Falsum est, hac eadem voce in Scripturis non significari donum gratiæ sanctificantis; ea enim adhibetur Act. 10. v. 45. Act. 11. v. 15. ubi agitur de dono gratiæ sanctificantis. Et S. Lucas Act. 2. dicit de descensu Spiritûs S. in die Pentecostès: *Factus est repentè de cælo sonus, tamquàm advenientis spiritus vehementis.* Ubi tamèn Apostoli receperunt non solùm gratias gratis datas, sed etiam augmentum gratiæ sanctificantis cum septem Donis Spiritûs S.

Urgent plura leviora. 1. Huic ritui, inquit Calvinus, nulla est in Scripturis annexa gratiæ promissio. 2. Flatus, quo Dominus Discipulos affavit, non fuit Sacramentum: ergo nec manuum impositio per Apostolos. 3. In his Scripturæ locis, inquit Kemnitius, nullum sentitur oleum, nullum odoratur balsamum; & verbum deest, quod tamèn requiritur ut forma Sacramenti: ergo. R. ad 1. gratiæ promissionem constare ipso facto Apostolorum, qui illam per manuum impositionem conferebant. Sed & habet facta prævìè promissio Joann. cap. 14. v. 16. c. 15. v. 26. c. 16. v. 7. & Act. 1. v. 5. & 8. & alibi. Ad 2. N. Cons. quia Sacramentum debet esse signum permanens & perpetuum: hic autèm flatus, neque ab Apostolis, neque ab horum Successoribus fuit observatus; secùs impositio manuum. Tertium tangit materiam & formam hujus Sacramenti, de quibus disputant Theologi. Sed, quamvis dissentiat in assignanda materia & forma, quia id quoad aliqua non pertinet ad fidem, conveniunt tamèn omnes esse aliquam determinatam, ideòque esse vèrum & propriè dictum Sacramentum; quod est, fidei dogma. Insupèr chrisma sempèr fuisse adhibitum, aut in eo fuisse divinitus dispensatum propter multitudinem confirmandorum & paucitatem confirmantium, dicemus infrà. Etiàm verba adhibita fuisse constat Act. 8. ubi Apostoli cum manuum impositione invocabant Spiritum S. verbo & oratione.

Obj. 2. Antiquiores Ecclesiæ Patres, Justinus, Atenagoras, Tatianus, Irenæus siluerunt de Confirmatione: ii autèm, quos laudavimus, loquuntur de Confirmatione tamquàm de appendice cæremoniali Baptismi, siquidèm illam semper Baptismo conjungant, eique eumdem ac Baptismo effectum tribuant: aut saltèm intelligunt Sacramentum impropriè dictum: ergo. R. ad 1. membrum Ant. 1. falsum esse; Dionysius enim & Irenæus non siluerunt de Confirmatione. Patet ex probationibus. 2. Hoc dato, N. Cons. alioquin sequeretur, quòd nec Baptismus nec Eucharistia forent Sacramenta, quia de illis omninò siluerunt Atenagoras & Tatianus. Dicendùm itaquè, ad veritatem alicujus dogmatis, seu traditionem stabiliendam, non esse necesse, quòd omnes Scriptores omnis ætatis meminerint illius; sed sufficere, quòd plerique, & probati illam asseruerint. 3. Non ignorant Hæretici, laudatos Patres plura alia opera edidisse, quæ perierunt: quis scit, nùm in illis Confirmationem non appellaverint? Et si verum sit, quòd tùnc temporis ignota erat in Ecclesia Confirmatio, dicant: undè Tertull. Cypr. & alii, quos laudovimus, illam hauserunt? 4. Patres Apostolis propinquiores intenti erant edendis Apologiis pro Christianis, & calumniis contra ipsos intentatis depellendis, parci autèm, & cauti in explicandis palàm arcanis fidei mysteriis, ne ampliorem calumniis Etnicorum materiam subministrarent.

Ad 2. membrum Ant. R. ejus falsitatem apertè revinci ex ipsis Patrum textibus a nobis laudatis, ut in pluribus observavimus. Et sanè, si Confirmatio nihil aliud esset, quàm cæremonia Baptismi, quid necesse erat Petrum, & Joannem mitti ad Samaritanos, ut eis imponerent manus, & acciperent Spiritum S.? Phi-

Philippus, qui habebat facultatem baptizandi, habebat a fortiori facultatem cæremonias Baptismi adimplendi. Sed & omnia, quæ adferuntur in probationem hujus Antecedentis, sunt falsa. Et 1. falsum est, quòd sempèr Confirmatio comitaretur Baptismom; non enim sempèr aderant Apostoli, aut Episcopi, sicùt de facto contigit in Samaritanis baptizatis a Philippo, ad quos missi sunt Petrus, & Joannes, ut eos confirmarent. Et esto, Confirmationem sempèr fuisse conjunctam Baptismo, non magis indè sequitur, quòd fuerit cæremonia Baptismi, quàm sequitur Eucharistiam, quæ cum Confirmatione ordinariè conferebatur statim post Baptismum, esse Baptismi cæremoniam. 2. Falsum est, Patres eumdem Baptismo, ac Confirmationi effectum tribuere. Tribuunt namquè Baptismo gratiam regenerativam, & innovativam, Confirmationi gratiam roborativam, & confirmativam. 3. Tandèm falsum est, Patres loqui de Confirmatione, ut de Sacramento impropriè dicto. 1. Quia illam vocant Sacramentum, sicut Baptismum: *Tùnc demùm*, inquit Cypr. Ep. 72. ad Steph. *planè sanctificari, & Filii Dei esse possunt, si Sacramento utroque* (Baptismo, & Confirmatione) *nascantur. Sacramentum Chrismatis*, inquit Aug. contra Litt. Petil cit... *quod quidèm in genere signaculorum visibilium sacrosanctum est, sicùt Baptismus.* 2. Quia confirmationem asserunt, ut signum sensibile gratiæ sanctificantis; quod non competit, nisi Sacramento propriè dicto. 3. Tandèm nulla est ratio, cur, secundùm modum loquendi Patrum, dicatur Sacramentum impropriè potiùs, quàm Baptismus, & Eucharistia.

Inst. 1. Cyprianus loco mòx cit. ex eo quòd Stephanus iteraret impositionem manuum, inferebat iterandum esse Baptisma: ergo reputabat Cyprianus impositionem manuum ut cæremoniam annexam Baptismo R. N. Cons. Ideò enim Cyprianus ex praxi Stephani intulit iterandum esse Baptismum, quia falsò existimabat Stephanum per manuum impositionem conferre Confirmationem redeuntibus ab hæresi. Ex quo inferebat, quòd, si Confirmatio Hæreticorum esset nulla, & iteranda, ità eorum Baptismus. At hallucinabatur Cyprianus; impositio enim manuum apùd Stephanum non erat confirmatoria, nisi pro iis, qui nondùm erant confirmati, sed reconciliativa tantùm.

Inst. 2. Impositio manuum, de qua loquebantur SS. Patres, poterat iterari: ergo non erat Sacramentum nostræ Confirmationis, quod secundùm nos iterari non potest. Prob. Ant. Aug. de Bapt. c. 15. ait: *Manûs impositio, non sicùt Baptismus, repeti non potest*: ergo. R. N. Ant. ad Probat. N. Cons. quia Aug. ibi loquitur de impositione manuum reconciliativa, non confirmatoria, ut constat ex libr. 5. de Bapt. cap. 25. Quadruplex autèm est distinguenda manuum impositio apùd antiquos. Prima est sanativa infirmitatum. Marci ult. Secunda est ordenativa Clericorum. 2. Tim. 1. Tertia est confirmativa. Quarta est reconciliativa, sive quoad forum internum, sive quoad externum. Hæc quarta, & prima poterant iterari, non secunda, & tertia.

Inst. 3. Secundùm Aug. per manûs impositionem, quam dicimus Confirmationem, Apostoli non dabant Spiritum S. sed tantùm orabant, ut veniret: ergo non erat Sacramentum. Prob. Ant. S. D. l. 15. de Trinit. cap 15. *Orabant enim*, inquit, *ut Spiritus S. veniret in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant*: ergo. R. D. Ant. Per manûs impositionem Apostoli non dabant Spiritum S. principalitèr, C. ministerialitèr, seu instrumentalitèr, Subds. Non dabant Spiritum S. visibilitèr quantùm ad gratias gratis datas, C. Cùm enim hæ essent effectus tantùm accidentales Confirmationis, illas Apostoli non dabant, sed orabant, ut a Deo conferrentur in Confirmatione, & de ista collatione Spiritûs S. intelligit Aug. Non dabant Spiritum S. invisibilitèr quantùm ad gratiam sanctificantem, N. Namquè, si quoad illam gratiam Apostoli nihil nisi orando profuisset Samaritanis, non debebant mitti ad illos; perindè enim orassent Jerosolymis, ac Samariæ.

Obj. 3. Ecclesia Græca non recenset Confirmationem inter Sacramenta: ergo. R. N. Ant. Cujus falsitatem probavimus Art. penultimo Tract. de Sacramentis in genere ex antiquis Rituali bus græcis a nostro P. Goar editis, ex Leone Allatio, ex Jeremia Patriarcha Constantinop. in censura, quam edidit Doctrinæ Calvinianæ. His nùnc adde, non solùm Patres Græcos, quos laudavimus, Conc. Laodic. Cyrill. Chrysost. &c. sed & recentes Synodos, unam Constantinop. ann. 1642. in qua damnatur Calvinus, quòd quinque Sacramenta negaret: alteram Bethleemiticam, Præside Dositheo Patriarcha Jerosol. in qua sic decernitur: *Credimus, esse in Ecclesia Legis novæ Sacramenta, eaque septem: non majorem, aut minorem numerum admittimus.* Deinde 2. loco numeratur Sacramentum Confirmationis. Insupèr, quoties actum est de unione utriusque Ecclesiæ, præsertim in Conc. Flor. facta fuit mentio de Confirmatione. Tandem ipsi Lutherani Wittembergenses, in responso ad responsum laudati Jeremiæ, hoc ipsum fatentur his verbis: *Sacramenta septem numerant Græcorum Ecclesiæ.* Ad hæc non nisi futilia reponit Kemnitius.

Inst. Saltèm constat, ignotum esse Confirmationis Sacramentum apùd Christianos Æthiopes, Armenos, Caldæos, aliosque Arabiam, Mesopotamiam, Syriam Persidem, & Ægyptum habitantes, atque apùd Indos: ergo. R. 1. Dato Ant. N. Cons. Non enim a Schismaticis requirenda est veritas, cum ex Schismate ordinariè nascatur error. 2. N. Ant. Cujus falsitatem fusè, & eruditè per singulas nationes probat jam laudatus Caroli Witasse Perfector Tom. 1. pag. mihi 486. & seqq. non ingratè legendus.

Obj. 4. Magna est inter nostros Theologos dissensio circa essentialia Confirmationis, materiam, formam, & ministrum: ergo non constat apùd eos, existere hoc Sacramentum. R N. Cons. Dissensio enim circa naturam alicujus rei non infert dissensionem circà ejus existentiam: sic Lutherani, & Calvinistæ inter se dissentiunt de materia, & forma Baptismi. Lutherus in Symposiacis cap. 17. dubitat, an valeat in vino, & lacte: Beza in Ep. 2. ad Thomam Filium affirmat valere in quovis liquore: Calvinus libr. 4. Inst. cap. 15. §. 16. requirit ad validitatem Baptismi, quòd conferatur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Lutherus asserit, quod sufficiat, si conferatur in nomine Domini: Zuinglius nullam formam requirit. Et tamen hi omnes agnoscunt Baptismum existere. Catholici disputant circa materiam aliorum Sacramentorum; & tamèn nullus aliquod negat. Philosophi disputant de natura solis, & ignis, nemo tamen negant existere solem, & ignem. Paritèr itaquè, quamvis nostri Theologi disputent, quæ sint materia, forma, vel minister Confirmationis, conveniunt tamèn omnes in hoc, quòd est Fidei, hunc scilicèt ritum, qui in Ecclesia dicitur Confirmatio, esse verum Sacramentum.

Petes, a quo & quandò institutum fuerit Sacramentum Confirmationis. R. a Christo fuisse institutum; probatum manet ex Diss. 5. de Sacr. in genere art. 1. Illùc Lectorem remitto.

Quantùm ad tempus institutionis incertum est, cùm nihil ea de re habeamus in Scriptura, aut Traditione. Quidam dicunt, fuisse institutum Matth. 19. cùm Christus parvulis manus imponeret; & ità sentire Conc. Senonense ann. 1528. verùm non omnis manuum impositio est Confirmatio; & quod refertur Matth. 19. nihil aliud fuisse videtur, quàm quod consuetum erat apùd Judæos, apùd quos parvuli a majoribus manûs impositione benedicebantur exemplo Ephraim, & Manasse, quibus Jacob hoc modo benedixit Genes 48. Insupèr verisimilè est, non omnes istos parvulos fuisse baptizatos, neque decebat eos confirmari antè Apostolos. Ad Conc. Senon. respondetur, esse dumtaxat Provinciale, nec a Summ. Pontifice approbatum, ideòque non inconcussæ auctoritatis; vel intellexisse institutionem Confirmationis in typo, & figura, non in re. Quidam volunt, institutum fuisse in ultima cœna, fundati in Ep. 2. Fabiani Papæ ad Episcopos Orientales cap. 1. in qua dicit: *In illa die Dominus, postquàm cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicùt a S. Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.* Et subdit: *Lavatio pedum significat Baptisma, quod sancti Chrismatis unctione perficitur.* Verùm aliis non videtur sat firmum hoc fundamentum, cùm Epistola hæc Fabiani, non secùs, ac aliæ decretales antè Siricium, a plerisque eruditis nùnc reputentur apocryphæ, & suppositiæ. De qua re vide Digress. hist. ad Diss. 1. de Jure. Alii tandem arbitrantur, institutum fuisse hoc Sacramentum eo temporis intervallo, quo Christus post Resurrectionem usquè ad Ascensionem cum Apostolis conversatus est, *loquens de Regno Dei.* Act. 1. Tùnc enim illis contulit plenitudinem potestatis Episcopalis in Ecclesiam, Joann. 20. *Sicùt misit me Pater, & ego mitto vos.* Eis promisit Spiritum S. & gratiam, quam confert in Confirmatione, Luc. 24. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Ac tandèm iis diebus, ut inquit S. Leo serm. 1. de Ascens. cap. 2. *Magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mysteria.* Ex quibus colligunt, non incongruè hoc tempus institutionis hujus Sacramenti assignari, præsertim cùm nullum aliud sit assignari.

Quantùm ad S. Th. dicit hìc ad 1. *Quòd Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo*, scilicet ejus effectum, Spiritum S. & gratiæ plenitudinem, non verò ipsum Sacramentum; promittere enim Sacramentum non est ipsum institnere. Et hoc patet ex his, quæ subjungit S. Doct. *Secundùm illud*, inquit, Joann. 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritûs S. quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, secundùm illud Joann. 7.* Nondùm erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus. Sensus ergo verborum S. Thom est, *Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo*, seu illud alicui administrando, sicùt instituit Ordinem, & Eucharistiam, *sed promittendo* ejus effectum. Et iste sensus non repugnat tertiæ sententiæ.

AR-

ARTICULUS II.

Quæ sit Materia Confirmationis.

MIssis Lutheranis, & Calvinistis, qui, ut Sacramentum Confirmationis rejiciunt, ità ejus materiam improbant; manuum impositionem, postquàm cessavit visibilis illapsus Spiritûs S. tamquàm cæremoniam inutilem reputant: Chrisma verò Calvinus libr. 4. Inst. cap. 19. §. 8. vocat *oleum diaboli mendacio pollutum*, & §. 10. *pinguedinem fœtore anhelitûs inquinatam, verborum murmure incantatam, & perungendis calceis addicendam.* His, inquam, missis, quos Art. præcedenti sufficientèr exagitavimus, concertatio hìc nobis est cum Theologis Catholicis, qui in assignanda essentiali hujus Sacramenti materia dissentiunt. Quidam in sola manuum impositione reponunt. Ità ex antiquis Aureolus, Altissiodorensis; ex recentioribus Sambovius, l' Herminier, maximè Sirmondus in Antirhectico 2. Quidam in sola chrismatione constituunt. Ità Bellarm Maldonatus, Isambert, Petrus Aurelius, seu Abbas Sancyranus, &c. Quidam reponunt in utraquè, scilicèt, Chrismatione, & impositione manûs; sed diversimodè: alii disjunctivè; ità ut alterutra, vel utraque sit materia adæquata, relicta Ecclesiæ libertate, quàm vellet pro temporum opportunitate, usurpandi. Hæc sententia tribuitur Tappero, Morino, & Estio, & videtur esse Concilii Moguntini: apprimè commoda est enodandis difficultatibus: eam probabilem reputat Bellarm. eique lubentèr subscriberemus, si solido fundamento esset innixa. Alii conjunctivè; ità ut chrismatio, & impositio manuum sint simùl adæquata materia Confirmationis. Est nùnc communior: illam tenent Nat. Alexander, Ludovicus Habert, Juenin, Henno, Card. Gotti, Perfector Caroli Witasse, Boucat, Tournely, Berti, Daëlman, &c. & si intelligatur de impositione manûs indistincta a chrismatione, ut mox dicetur, coincidit cum secunda sententia.

Chrisma græcè idem ac latine unguentum, at usu Ecclesiastico est mixtum ex oleo, & balsamo. Manûs impositio est duplex in Confirmatione: juxta Pontificale Clementis VIII. una prævia ad unctionem, dum Episcopus manu extensa versùs confirmandos orat, ut descendat in eos Spiritus S. altera, qua Episcopus frontem confirmandi pollice Chrismate tincto tangit, reliqua manu, saltèm ut fit a plerisque, supèr caput ejus extensa.

Specialem quæstionem hìc non instituo de materia remota Confirmationis: quia, si probetur unctionem Chrismatis esse ejus materiam proximam, satis constabit Chrisma esse materiam remotam; est enim materia proxima materiæ remotæ applicatio.

Dico: Materia essentialis adæquata Sacramenti Confirmationis est conjunctivè unctio Chrismatis, & manûs impositio ab ipsa unctione indistincta; salva tamèn probabilitate sensûs disjunctivi. Prob. Constans, & perpetua est in Ecclesia traditio, chrismationem, & manûs impositionem sempèr adhibitas fuisse in Confirmatione, iisque vim inesse conferendi Spiritum sanctum, seu gratiam roborantem: ergo.

De chrismatione constat ex omnibus summ. Pontificibus, Conciliis, & Patribus, quos Art. præcedenti laudavimus: hi enim omnes, paucis exceptis, meminerunt vel chrismatis, vel unguenti, vel unctionis, vel signaculi, eique vim gratiam conferendi tribuunt. Relegantur eorum textus. Idem docet Auctor hìc Art 2. probatque, hanc materiam esse convenientem, quatenùs gratia Spiritûs S. in oleo designatur: undè Christus dicitur esse unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritûs sancti, quam habuit: admiscetur balsamum, quo, propter fragrantiam odoris, significatur odor bonæ famæ. Undè Apost. 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo.* Et, licèt multa alia sint odorifera, tamèn præcipuè accipitur balsamum, eo quod habeat præcipuum odorem, & incorruptionem præstat. Hac Traditione innixa Synodus Flor. in Decreto unionis definit, materiam hujus Sacramenti esse *Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Et Trid. sess. 7. can. 2. de Confirm. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui S. eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.* Ubi supponit, chrismationem esse materiam hujus Sacramenti.

De manûs impositione constat ex actis Apost. ex Conc. Eliberitano, Tertull. Cypr. Hieron. Aug. laudatis art. præcedenti. Videantur. Plura alia adferri possent momenta tàm ex Græcis, quàm ex Latinis; sed, cùm non requiramus aliam chrismationem manûs, quàm quæ fit per ipsam chrismationem, supervacanea videntur; probata enim chrismatione, simùl probatur ista manûs impositio.

Hanc autèm Traditionem intelligendam esse de chrismatione, & impositione manuum conjunctivè, tamquàm de materiis partialibus unam totalem simùl integrantibus; non verò disjunctivè, concessa a Christo Ecclesiæ facultate quam velles assumendi; indè colligimus 1. Quòd hujusce facultatis a Christo concessæ nullum extat vestigium in Scriptura vel Traditione, sine quibus tamèn nihil circa essentialia Sacramentorum, quæ a sola voluntate Christi pendent, debet affirmari. 2. Quòd quidam Patres utramque simul videantur requirere Tertull. de Resurr. carnis cap. 8. *Caro ungitur*, inquit, *ut anima consecretur... caro manûs impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Cypr. jam laudatus art. præcedenti Ep. ad Jubaian. & plures alii Scriptores, mòx citandi. Maneat tamèn alterius sententiæ probabilitas, quæ fortèm poterit explicari, & defendi eo fermè modo, quo explicatur, defenditur determinatione specificam formæ ejusdem Sacramenti, & materiæ Ordinis esse libertati Ecclesiæ relictam. Itèm, hanc traditionem esse intelligendam de manûs impositione indistincta a chrismatione, constat 1. Quia Episcopi admittunt ad Confirmationem eos, qui erant absentes, dùm facerent manûs impositionem præviam ad chrismationem, quæ, ut dictum est, consistit in extensione manuum versùs confirmandos. Neque dici potest cum Honor. Tournely esse *abusum corrigendum*, nisi culpando plures doctissimos, & pientissimos Antistites, qui hanc praxim servant. 2. Quia Græci nullam aliam manûs impositionem adhibent, quàm eam, quæ chrismationi est annexa, ut patet ex eorum Euchologiis veteribus, & recentioribus, editis a nostro Goar: & tamèn, existere apùd Græcos verum Sacramentum Confirmationis, agnoscit Ecclesia.

Scio, quosdam contendere, in prioribus sæculis impositionem manuum fuisse distinctam ab unctione: sed quidquid sit, certum est saltèm a pluribus sæculis has duas actiones coaluisse in unam. De illis hoc sensu loquuntur plures antiqui Scriptores Beda, qui floruit sæculo 7. in Psalm. 26. *Illa unctio*, inquit, *quæ per manûs impositionem fit ab Episcopo, vulgò Confirmatio dicitur.* Amalarius 8. sæculo libr. 1. de Officiis cap. 27. *Ut ab Episcopis solis inungatur per manûs impositionem, ab Apostolis assumptus est.* Rabanus Maurus sæc. 9. l. de Instit. Clericorum cap. 18. refert ex S. Sylvestro, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptizatum per manûs impositionem cum ipso Chrismate consignet.* Ratrammus eodem sæc. lib. 4. contra opposita Græcorum cap. 7. *Donum Spiritûs S. tribuitur per impositionem manuum, quandò frontes baptizatorum Chrismate sancto liniuntur ab Episcopo.* Eodem modo loquuntur sæc. 12. Rupertus libr. 5. de divinis Officiis cap. 16. & Hugo Vict. libr. 1. de Sacramento Fidei cap. 10.

Solvuntur objectiones contra Chrismationem.

OBJ. 1. (*D. Thom. art. 4. ad 1.*) Act. 8. & alibi, ubi secundùm nos refertur Sacramentum Confirmationis; nulla fit mentio Chrismatis, sed solùm impositionis manuum: ergo Apostoli non adhibuerunt Chrisma confirmando, sicque Chrisma non est materia Confirmationis. R. 1. juxtà plurimos, D. Ant. Nulla fit mentio Chrismatis, & tamèn non excluditur, C. Ant. & excluditur, N. Ant. & Conseq. Non enim omnia, quæ Apostoli fecerunt aut docuerunt, scripta sunt, sive brevitatis, sive arcani servandi causa. Sic Aug. libr. de fide, & oper. cap. 9. loquens de Eunucho dicit: *In eo quod ait:* (S. Lucas) *Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ, licèat taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamèn serie traditionis scimus implenda.* Et Estius in 4. d. 7. §. 6. cùm ea, quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, inquit, secretissima haberentur, ac ferè sola voce quasi per manus traderentur; noluit Lucas, neque elementum, neque verbum hujus Sacramenti verbo prodere, ideòque usus est vocabùlo manûs impositionis, quæ generalis quædam cæremonia est, variè adhiberi solita. Itèm constat, non omnia Fidei nostræ dogmata ex sola Scriptura, sed multa ex traditione haberi: probavimus autèm, constantem sempèr fuisse in Ecclesia de chrismatione traditionem; cujus prima institutio cùm neque in Conciliis, neque in Pontificum sanctionibus reperiatur, dicendum est eam esse a Christo, qui Sacramentorum materiam, & formam determinavit, haneque ab Apostolis fuisse frequentatam. Non magis ergo concludis hoc argumentum negativum, quàm si quis ex silentio Scripturæ inferret Apostolos non baptizasse id nomine Trinitatis, pueros non esse baptizandos, & plura alia, quæ non leguntur in Scriptura; aut vellet probare, chrismationem non fuisse in usu tempore Concilii Arelat. 1. & Nicæni; quia in illis, ubi agitur de Confirmatione, non fit mentio Chrismatis.

R. 2. juxta quosdam alios, N. Cons. Quamvis in Actibus Apost. sileatur de chrismatione; alibi tamèn fit illius mentio. 1. 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Quem locum exponit de Confirmatione Ambros. libr. de initiandis cap. 7. 2. 1. Joann. 2. *Sed vos unctionem habetis a Sancto.*

Quod

Quod Aug. Tract. 3. in Ep. Joann. interpretatur de Confirmatione. 3. ibid. *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Et hoc iterùm Aug. ibid. & S. Cyrill. Catechesi 3. intelligunt de Confirmatione. R. 3. cum Auctore (*Hic quæst. 72. art. 2. ad 1.*) & pluribus aliis: dato, quòd Apostoli per solam manuum impositionem sine chrismatione Confirmationem aliquandò administraverint, id factum esse ex dispensatione divina, quandò Spiritus sanctus per visibilia signa descendebat in confirmatos: quia non erat necessaria tàm sensibilis materia Sacramenti, ubi exhibebantur miraculosè sensibilia signa, quæ non secùs, ac chrisma significabant effectum Sacramenti, ut explicat Auctor ibid. ubi addit, quòd Apostoli uterentur tamèn communitèr chrismate in exhibìtione hujus Sacramenti, quandò visibilia signa non exhibebantur.

Inferes ex hac sol. Ergo mutata fuit materia hujus Sacramenti; consequentèr non est idem Sacramentum Confirmationis, quod nùnc celebrat Ecclesia, ac illud, quod Apostoli conferebant. Respondent quidam, quòd, quandò Apostoli dabant Spiritum sanctum per solam manuum impositionem sine chrismatione, conferrent quidèm rem Sacramenti, sed non Sacramentum; arbitranturque hanc esse mentem D. Thom. Verùm, hac solutione semèl admissa, nullum nobis restat fundamentum in Scriptura, ad probandum contra Hæreticos veritatem hujus Sacramenti. Non id dixit D. Thom. neque arbitror hanc esse ejus mentem: quamvis enim hìc art. 4. o. dicat, quòd, quandò Deus visibilibus signis miraculosè adhibitis conferebat effectum Sacramenti sine Sacramento, tùnc non esset necessaria materia, nec forma Sacramenti, quod verum est; non tamèn dixit, quòd ubi aderat impositio manuum, deesset omninò materia, & non esset Sacramentum; quin e contra in cap. 6. Ep. ad Hebr. lect. 1. circà medium ad hæc verba, *impositionis quoquè manuum*, agnoscit impositionem manuum esse materiam Sacramenti, & innuit per eam Apostolos illud contulisse; dicit enim: *Secundum Sacramentum intrantium est in ipsa manuum impositione... Hæc autèm est duplex: una est miracula faciens, sicùt quandò Christus per manûs impositionem curabat infirmos, Luc. 4... Et hæc non est sacramentalis. Alia est sacramentalis... In Sacramento Confirmationis.... In Confirmatione enim datur Spiritus S. ad robur, ut scilicèt audacter homo confiteatur nomen Christi coràm hominibus.* Undè ad arg. R. D. Illatum: ergo materia Sacramenti fuit mutata materialiter, & entitativè, Transeat; mutata formalitèr, & in ratione materiæ Sacramenti, N. Quamvis ergo non fuerit eadem entitas materiæ adæquatæ, quatenùs non adhibebatur chrisma, sed sola manuum impositio, eadem tamèn erat formalitèr, & in ratione materiæ Sacramenti, quatenùs substabat eidem significationi, & Christi institutioni, atque eamdem efficaciam, & eumdem effectum habebat. *Dixi: Transeat illatio*; quia, juxta aliam sententiam, quam suprà dixi probabilem, cùm materia sit, vel impositio manuum, vel chrismatio, ad nutum Ecclesiæ, nullatenùs fuit mutata.

Obj. 2. famosum Can. 2. Conc. Araus. 1. quo declaratur unctionem non esse necessariam Sacramento Confirmationis: ecce ejus verba: *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquàm debet progredi; quia inter nos placuit semèl chrismari. De eo autèm, qui in baptismate quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos monebitur: nàm inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio est: non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*: ergo. R. de isto Canone exarsisse olim acrem concertationem inter duos eruditos Theologos, P. Sirmondum Soc. J. qui contendebat chrismationem esse tantùm cæremoniam Confirmationis, & Petrum Aurelium, seu Abbatem Sancyranum, qui propugnabat esse materiam essentialem. Primus legebat textum, prout retulimus, cum particula negante in ultima parte textûs. Alter legebat sine particula negante, sic scilicèt: *sed ut necessaria habeatur repetita chrismatio.* Si hæc ultima lectio admittatur, favet apertè nostræ conclusioni; tùnc enim sensus Canonis est, quòd utraque chrismatio, tàm Baptismalis in vertice, quàm Confirmatoria in fronte, sit necessaria, in diverso tamèn genere necessitatis: prima ut cæremonia Baptismi supplenda ex more, & præcepto Ecclesiæ, altera necessitate Sacramenti, ut ejus materia. Verùm de ista particula adhùc sub judice lis est: plura namquè exemplaria illam omittunt, non pauciora illam retinent; ideòque indè non potest erui firmum argumentum prò, aut contra. Sed esto legendum sit secundùm Sirmondum cum particula negante, nihil nocet: sensus enim est, quòd, ubi aliquis est baptizatus sine chrismatione verticali, Episcopus antequàm illum confirmet, debeat hanc chrismationem verticalem supplere, quæ chrismatio verticalis non præjudicat chrismationi frontali faciendæ in Confirmatione; quia, licèt suppleatur ex more, & præcepto Ecclesiæ, non est tamèn absolutè necessaria Confirmationi, & ideo dicit: *sed ut non necessaria habeatur repetita*, seu duplex, *chrismatio.* Plurà de isto Canone scribunt Sambovius, & ex illo Gaspar Juenin, Perfector Caroli Witasse, & Honorat. Tournely, qui lectionem Petri Aurelii, seclusa particula negante, præferunt lectioni Sirmondi.

Obj. 3. Ex probationibus nostris equidèm colligitur chrismationem esse necessariam Confirmationi, non tamèn ut ejus materiam essentialem, sed vel ut partem integrantem, vel ut cæremoniam præceptam: sic, quamvis multi Patres meminerint chrismationis Baptismalis, & quidam, ut Tertull. & Cyrill. aliquem effectum spiritualem illi tribuant, non tamèn sequitur, quòd sit pars essentialis Baptismi: ergo. R. N. Ant. 1. quia Traditio, quam asseruimus, loquitur de chrismatione tanquàm de vero Sacramento. 2. In ipsa chrismatione sicùt in impositione manuum constituit ipsum Sacramentum. 3. Conceptis terminis vocat ipsam Sacramentum, non secùs, ac Baptismum. 4. Vim ipsi tribuit conferendi Spiritum S. & gratiæ plenitudinem. Nihil autem horum de chrismatione Baptismali: quòd si quidam ei aliquem effectum spiritualem tribuunt, non ex opere operato, sed ex opere operantis.

Inst. Quamvis ex Traditione habeamus, quòd aqua sit vino permiscenda in Sacramento Eucharistiæ, non tamèn sequitur, quòd sit materia hujus Sacramenti: ergo similitèr. R. N. Cons. Disparitas est, quòd Traditio sempèr apprehenderit, & exhibuerit chrismationem tanquàm materiam Confirmationis; vinum autèm solum semper intellexerit esse materiam Eucharistiæ, & aquam illi permiscendam requiri necessitate præcepti, non Sacramenti.

Obj. 4. Materia essentialis Sacramenti debet esse eadem apùd Græcos, & Latinos; atqui chrisma eorum differt a chrismate Latinorum: nàm chrisma Latinorum conficitur ex oleo, & balsamo tantùm; Græci autèm præter oleum, & balsamum triginta duas species aromatum, seu herbarum fragrantium adhibent: ergo. R. Solam mixtionem balsami, & olei apùd Græcos esse essentialem, alias accidentales; quin imò, nec ipsi possunt modò omnes illas herbas adhibere: quædam enim, ut observavit Berti, sunt ignotæ; aliæ plures non nisi ope variorum lexicorum, auctorumque de plantis, & herbis tractantium, collatione, possunt dignosci.

Solvuntur objectiones contra manuum impositionem.

CUm eam solam requiramus manûs impositionem, quæ a chrismatione est inseparabilis, solutis argumentis contra chrismationem, videtur otiosum alia proponere contra impositionem manuum. Ut tamèn scholæ serviamus,

Obj. 1. Eug. IV. in Decreto unionis dicit: *loco illius manûs impositionis* (de qua Act. 8.) *datur in Ecclesia Confirmatio.* Innocent. III. cap. *Cùm venisset*, ait: *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio.* Conc. Moguntinum ann. 1549. cap. 18. *Hoc Sacramentum*, inquit, *ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorum traditione, adhibita chrismatis Unctione, cœpit conferri.* Ergo nùnc impositio manuum, nec inadæquatè est materia Confirmationis. R. N. Cons. In nullo enim ex his testimonii excluditur impositio manuum indistincta a chrismatione: alioquin excluderent chrismationem, quam adstruunt. Sensus ergo Decreti Eug. est; non quòd res rei successerit, seu quòd chrismatio posita sit loco impositionis manuum, ea exclusa (neque enim dicit *chrismatio*, sed *Confirmatio*) sed quòd nomen nomini successerit, hoc est, quod id, quod dicebatur manuum impositio, nùnc dicatur Confirmatio: atque hoc confirmant, ac apertè significant verba Inocentii III. dùm ait, *per frontis chrismationem manûs impositionem designari, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* Audis non aliam rem, sed aliud nomen dumtaxat. Unde Concilium Senonense ann. 1528. *Tùnc*, inquit, *impositionis manuum, nùnc Confirmationis appellatum est Sacramentum.* Conc. Moguntinum supponit cum D. Thom. Scoto, & pluribus aliis, Apostolos ex dispensatione divina aliquandò Confirmationem administrasse per solam manuum impositionem; communiùs tamèn cum mannum impositione adhibuisse chrismationem, ex quo nihil contra nos.

Inst. Multi tùm veteres, cùm recentiores Scriptores, inter quos ipse S. Thom. pro materia Confirmationis solam chrismationem designant: ergo. R. Multos paritèr solam manuum impositionem designare; undè, sicùt ex hoc non infertur, quòd hi chrismationem excluserint, ità nec illi impositionem manuum: sed utrique, data occasione, modò impositionem manuum, modò Chrismationem, modò utramque nominabant, præsertim cùm per chrismationem ab Episcopo factam intelligatur impositio manuum ab ipsa chrismatione indistincta. Quantùm ad D. Thom. diximus suprà, ipsum in cap. 6. Ep. ad Hebr. expressè nominasse impositionem mannum.

Obj. 2. Apùd Græcos ratum esse Confirmationis Sacramentum, agnoscit Ecclesia; atqui Græci, tàm veteres, quàm recentio-

tiores, non adhibent impositionem manuum, ut patet tùm ex pluribus Scriptoribus, tùm ex Euchologiis hujus Ecclesiæ antiquis, & recentioribus, editis a P. Goar, & aliis, in quibus nulla fit mentio impositionis manuum, sed solius chrismationis: ergo. R. ut antè, 1. Plures etiam ex Græcis nullam mentionem facere chrismationis, sed tantùm impositionis manuum; ex quo tamèn malè infertur, chrismationem ab ipsis fuisse negatam. 2. In Euchologiis, & quibusdam Scriptoribus Græcis non fit mentio impositionis manuum; quia alia non adhibetur; nec est necessaria absolutè, quàm quæ includitur in ipsa chrismatione; undè, nominata explicitè chrismatione, nominatur implicitè manuum impositio.

Inst. cum Sirmondo. Ridiculum prorsùs, ac absurdum est, unctionem vocare manûs impositionem, quia fit per manum: pari jure unctio verticialis in Baptismate, & extrema infirmorum poterunt dici impositiones manuum. R. Quod ridiculum, & absurdum videtur Sirmondo, in Scriptura appertè innui: scribit enim Marcus cap. 7. quòd, cùm adduxissent ad Jesum mutum, & surdum, *deprecabantur eum, ut imponat illi manum... & Jesus misit digitos suos in auriculas ejus .. & tetigit linguam ejus.* Hoc ergo erat imponere manum. 2. Id neque visum fuit ridiculum, & absurdum Ruperto, & Hugoni Vict. seu potiùs S. Sylvestro; refert enim Rupertus libr. 1. de divinis Officiis cap. 16. & Hugo libr. 2. de Sacram. p. 7. cap. 3. quòd *Sylvester Papa constituit, ut baptizatum Presbyter in vertice chrismate liniat propter occasionem transitûs mortis, ne propter absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi sine manûs impositione baptizati migrent.* Audis, unctionem baptismalem dici impositionem manuum, & gerere similitudinem impositionis confirmatoriæ. Fatendum tamèn, neque unctionem verticalem in Baptismate, neque extremam infirmorum communiter vocari impositionem manuum; quia numquam impositio manuum habita est pro materia istorum Sacramentorum, sicùt habita est pro materia Confirmationis. Undè Petrus Aurelius in suo Orthodoxo contra Sirmondum p. 1. cap. 7. *Manûs impositio,* inquit, *frontis unctioni admixta, in eam quodammodò transit; undè minimè mirum, si nomen ei suum conferat, quæ illi seipsam contulit: quod cùm de verticis unctione dici nequeat, malè paria facit* (Sirmondus), *quæ longè disparia sunt.*

Adde, unctionem frontalem, proùt fit a pluribus Episcopis, dùm nempè pollice tangunt frontem chrismate, reliqua manu capiti imposita, esse apertè, & distinctè manûs impositionem.

ARTICULUS III.

Utrùm balsamum sit necessariò permiscendum oleo, necessitate Sacramenti?

ESse necessarium necessitate præcepti, saltèm Ecclesiastici, nemo negat; id enim, & Florentinum, & omnia Ritualia præcipiunt. Esse autèm necessarium necessitate Sacramenti, negant Cajetanus, Soto, Estius, Juenin, Witasse, Tournely, &c. Contra quos.

Dico. (*Hic art. 2. o. in 4. d. 7. q. 1. art. 2. q. 2. op. 5. & 4. c gent. c 60.*) Probabilius est, Balsamum esse necessariò permiscendum oleo, necessitate Sacramenti. Est communior cum Auctore. Esse D. Thom, locis cit. in margine non videtur dubium: nam 1. in 4. dicit, quòd *materia Confirmationis est oleum balsamatum.* 2. Quandò aliis locis cit. dicit, Chrisma esse materiam hujus Sacramenti, sempèr loquitur de Chrismate secundùm usum Ecclesiæ, quod conficitur ex oleo, & balsamo. 3. Cùm hic sibi quarto loco opposuisset, balsamum non inveniri ubiquè, & ex eo intulisset non esse materiam Sacramenti, non concedit Cons. ut debet concedi in sententia Adversariorum, negat e contra, & respondet sufficere, quòd possit facilè ad omnia loca deferri, quia Confirmatio non est tantæ necessitatis, sicùt Baptismus.

Prob. 1. ex Conc. Flor. in Decreto unionis, sic definiente: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Materia autèm Sacramenti est ipsi essentialis, & sine ea non subsistit: ergo.

Respondet 1. quidam ex Adversariis, hoc Decretum datum fuisse, jàm dissoluto Concilio; sicque non esse Decretum Concilii, sed summi Pontificis: voluit namquè, dissolutum fuisse Concilium, quandò Orientales discesserunt, antequàm Armeni, pro quibus editum fuit Decretum, advenirent: hujusque testes proferunt Spondanum ad ann. 1439. & Pallavicinum p. 1. libr. 6. cap. 2. Sed contra. In primis, etsi foret Decretum solius Pontificis, non ideò esset contemnendæ, & infirmæ auctoritatis. Verùm esse totius Concilii nondùm dissoluti, certo certiùs constat tùm ex initio Decreti, ubi legitur latum, *sacro approbante Florentino Concilio*; cùm ex fine, ubi legitur. *Datum Florentiæ in publica Sessione Synodali, solemnitèr in Ecclesia majori celebrata, anno Domini 1439. Kal. Decembr. Pontificatûs nostri anno. 9.* Neque id negant Spondamus, & Pallavicinus, sed e contra expressè testantur. Spondamus ad eumdem ann. 1439. ubi, relatis posterioribus verbis Decreti mòx laudatis, *indè percipies,* inquit, *non unà cum Græcorum discessu dissipatam esse, quod multi crediderunt, Synodum Florentinam, sed porrò continuatam cum Patribus Latinis, nec verò hoc solùm anno, verùm etiam tribus sequentibus.* Pallavicinus eod. libr. 6. n. 12. observat, Legatos Conc. Trid. contra Clodiensem Episcopum dixisse, *falli eos, qui Florentinæ Synodi exitum anno 1439. tribuebant... Reverà tres insuper annos perstitisse Synodum illam Florentiæ.* Neque id dicitur tantùm, sed prætèr textum ipsum Decreti probatur insupèr ex Autographis servatis Romæ in arce S. Angeli, de quibus legendi sunt Palavicinus ib. Cardinalis de Monte tom. 13. Conc. de Raynaldus tom. 18. Annal. Eccles. ad ann. 1442.

Respondent. 2. Concilium non explicare, nec statuere, àn balsamum sit necessarium necessitate Sacramenti, vel præcepti tantùm. Itèm, neminem latere, quæcumque eo in Decreto præscribuntur circà materiam, & formam Sacramentorum, non esse necessaria ad eorum substantiam, v. gr. aquam debere calici misceri: similitèr agendo de verbis consecrationis, refert Eugenius ea omnia, quæ in Ecclesia Latina proferri solent, quæ tamèn omnia, & singula non sunt absolutè necessaria ad essentiam Consecrationis. Ità Tournely. Addunt alii, Eugenium etiam pro materia Ordinis assignasse porrectionem instrumentorum, cum tamèn juxta plures materia hujus Sacramenti sit manuum impositio. Sed contra. Ad 1. hoc ipso quo Concilium definit, materiam hujus Sacramenti esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo, apertè significat, quòd sine alterutro non erit materia Sacramenti. Ad 2. non dicit Concilium, mixtum ex aqua, & vino esse materiam Eucharistiæ, sicùt dicit confectum ex oleo, & balsamo esse materiam Confirmationis; sed dicit, materiam Consecrationis esse *vinum de vite, cui antè Consecrationem aqua modicissima adhiberi debet.* Quæ duo sunt valdè diversa. Ad 3. Falsum est, Decretum de verbis Consecrationis referre omnia verba, quæ in Ecclesia Latina proferri solent; id enim solùm (ubi agitur de forma Eucharistiæ) legitur: *Forma hujus Sacramenti; Sacerdos enim,* &c. Ad 4. Sunt innumeri Theologi, qui sustinent ex ipso Decreto porrectionem instrumentorum esse materiam Ordinis in Ecclesia Romana, quidam totalem, quidam partialem; quamvis apùd Græcos manuum impositio sit materia. Ratio autem hujus diversitatis est; quia Christus hujus Sacramenti materiam non determinavit in specie, sed in genere; de quo dùm de Ordine: sed interim nihil indè contra nos.

Prob. 2. Conclusio. S. Dionysius c. 4. Hierarch. Eccl. *Dicimus,* inquit, *quòd unguenti compositio est collectio quædam benè spirantium materiarum*: balsamum verosimiliùs intelligens. Idem Clemens Rom. libr. 7. Constit. cap. 44 S Irenæus libr. 1. contra Hæres. cap. 18. de Gnosticis, ritus Catholicorum æmulantibus, scribit baptizatos ab illis inungi *balsamo.* S. Greg. sæculo 6. in suo Sacramentario, & Gregor. Turon. eod. sæc. libr. 4. de gloria Martyrum, fatentibus ipsis Adversariis, hanc olei, & balsami mixtionem commendant. Ordo Rom. antè sæculum 9. editus, Pontificalia, & Ritualia omnia, tàm vetera quàm nova, omnes fermè Scholastici, & eorum Duces mentionem faciunt balsami non secùs ac olei, tanquam materiæ partialis Confirmationis: & dùm aliquandò oleum tantùm nominant, non intelligunt oleum simplex, sed oleum mixtum, sumpta denominatione a majori quantitate, quæ est olei.

Prob. 3. Secundùm constantem, & perpetuam in Ecclesia traditionem materia essentialis Confirmationis est chrisma, ut ex dictis constat; atqui chrisma non est oleum simplex, sed, ex usu Ecclesiæ, est mixtum ex oleo, & balsamo; & secundùm nominis significationem est compositum ex oleo, & fragrante aliqua materia. Chrisma enim latiùs redditur *unguentum*: *Unguentum* autèm, inquit, Ambros. Calepinus, *non est illa compositio tenax, qua Chirurgi, utuntur ad curanda vulnera, sed commixtio diversorum odorum; addito oleo, aut balsamo, aut aliquo pingui ad ungenda corpora*: gallicè, *Parfum.* Jam quæro, ex qua alia fragrante materia fieret hæc mixtio quàm ex balsamo, quod, fatentibus Adversariis, a sæculo 6. universa adhibet Ecclesia: quo enim fine sæculo 6. fuisset immutata? a quo fuit immutata? quis reclamavit contra innovationem in re tanti momenti, contradicente priore traditione? ergo.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Sex primis sæculis nullus sive Græcorum sive Latinorum meminit balsami pro materia Confirmationis: ergo non est verisimile, illud esse ejus materiam. R. 1. posse negari Ant. Nàm S. Dionysius implicitè, & S. Iræneus explicitè illius memi-

meminerunt. 2. D. Ant. Nullus meminit explicitè, Transeat: implicitè, N. Meminerunt enim chrismatis, quod ex usu Ecclesiæ, & secundum nominis significationem importat compositum ex oleo, & balsamo, ut dictum est. 3. N. Cons S. enim Gregorius, & alii, qui 6. sæculo balsami meminerunt, illud non ut rem novam, & a se inventam, sed ut a Majoribus per traditionem acceptam protulerunt: non assignari potest primus ejus auctor, nec quisquam habet potestatem in Ecclesia statuendi id, quod secundum Concilia, Pontifices, insigniores ex Scholasticis, habetur pro materia Sacramenti.

Obj. 2. Innoc. III. cap. *Pastoralis* Extra l. 1. tit. de Sacramentis non iterandis 26. dicit: *Nos consulere voluisti, àn permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatûs assumptus; & si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum sed cautè suppledum, quod incautè fuerat prætermissum.* Ubi supponit id, quod fuit prætermissum, non esse essentiale: alioquin fuisset nullum Sacramentum, & iterandum. R. 1. hoc argumentum, quod est præcipuum adversæ sententiæ fundamentum, militare contra plures ex objicientibus, qui tenent impositionem manuum esse materiam saltèm partialem Ordinis, quem tamèn Pontifex dicit paritèr non esse iterandum, si defuerit impositio manuum. Itaquè R. 2. quod sensus hujus Decretalis sit, non esse iterandum solemnitèr, & cum cæremoniis Sacramentum, sed supplendum cautè, & secreto, quod fuerat omissum. In Confirmatione autèm omissum fuerat chrisma; quod non est sine balsamo, neque vera fuerat forma prolata: ergo id totum supplendum erat, sicque denuò conferendum erat. Similitèr in Ordine impositio manuum omissa erat supplenda non ut materia, sed ut cæremonia accidentalis, saltèm juxta plurimos. Responsio enim Pontificis, cum sit una generalis ad duas Quæstiones, debet singulis applicari proportionalitèr, & secundum exigentiam cujusque. In Confirmatione omissum fuerat quid substantiale, & id erat supplendum; in Ordine aliquid accidentale, & id erat etiam supplendum. Et hæc est communis interpretatio Canonistarum, Innoc. Panorm. Ostiensis, &c. Paulò alitèr, nec malè, interpretatur eximius Sylvius. Pontifex, inquit, respondet generalitèr, quòd in ejusmodi Sacramentis, cum characterem imprimant; nihil esse iterandum; non substantiam, quia sunt iterabilia; non cæremonias, quia sufficit illas semèl adhibuisse; sed cautè supplendum esse, quod incautè omissum fuerat; atqui in eo, de cujus Confirmatione quærebatur, omissa fuerat unctio chrismatis ex oleo, & balsamo confecti: ergo illa supplenda erat. In eo autèm, de cujus ordinatione quærebatur, omissa erat impositio manuum: ergo, & hæc supplenda erat, sive sit essentialis, sive non. Fermè in idem redit.

Obj. 3. Materia Sacramenti debet esse communis, & obvia; atqui balsamum verum, vel non ampliùs reperitur, vel saltèm est rarissimum; scribit enim Plinius libr. 12. cap. 25. *Balsamum uni Terrarum Judæ concessum, quondàm in duobus tantùm hortis, utroque Regio.* Et libr. 26. cap. 32. *Fastidit balsamum, alibi nasci*; atqui vastati sunt illi duo horti: ergo periit naturale balsamum. Ità Kemnitius R. 1. (*Hic art. 4. ad 2.*) Majorem esse veram de Sacramentis absolutæ necessitatis, ut est Baptismus: ad Confirmationem autèm, quæ non est tantæ necessitatis, sufficit, quòd ejus materia facilè possit ad omnia loca transferri. 2. N. Min. quod enim dicit Plinius, non ad sua, sed ad anteriora tempora est referendum; siquidem ipse ibid. dicat: *Serit nunc eam Fiscus, nec unquàm fuit numerosior aut procerior.* Et teste Josepho l. 4. Antiquit. cap. 1. & l. 1. de Bello Judaico cap. 7. Hieron. in cap. 27. Ezech. Strabone libr. 16. frequentissimum est balsamum in Palestina, & Arabia: & nùnc ex Indiis magna copia ad nos defertur.

Si dicas, balsamum Indicum esse adulterinum, & a Palestino diversum; ideòque necesse fuit, quòd Pontifices dispensarent, ut loco veri balsami substitueretur; quod apertè indicat, non esse materiam necessariam Sacramenti. R. N. Assumptum. Licèt enim balsamum Indicum in colore differat a Palæstino, non tamèn in substantia, & virtute, testimonio peritissimorum Medicorum: vel dic, differre sicùt vina diversarum Regionum, quæ sempèr sunt vina. Ideòque Pontifices non dispensaverunt in ejus usu, sed permisserunt illud adhiberi, quia erat verum.

Inst. Saltèm nascente Ecclesia, Apostoli, qui erant pauperes, non habebant, undè emerent balsamum, quod magni æstimatur: ergo. R. Apostolos fuisse pauperes in particulari, in communi autèm sufficientèr divites, ut emerent balsamum, cujus Palæstina erat ferax tùnc temporis, ut dictum est.

Urgebis: Cùm magnæ olei quantitati parum balsami admisceatur, potest contingere, quod solo oleo fiat unctio, sicque nullum sit Sacramentum, si balsamum sit de necessitate Sacramenti; hoc autèm est inconveniens: ergo. R. Tantam esse activitatem, & effluentiam balsami, ut parva quantitas brevi, & facilè pervadat omnes partes olei.

ARTICULUS IV.

Utrùm sit de necessitate Sacramenti, quòd Chrisma sit ab Episcopo benedictum?

SUppono, esse necessarium, saltèm necessitate præcepti Ecclesiastici, quòd chrisma sit benedictum, idque ab Episcopo; ità enim docent, & præscribunt Patres, Sacramentarium S. Greg. Pontificale, & Ritualia tàm Græcorum, quàm Latinorum, & maximè Florent. jam laudatum. At quæstio est 1. Utrùm benedictio, seu consecratio sit de necessitate Sacramenti, ità ut collatum sine chrismate benedictio sit nullum. 2. Utrùm paritèr sit de necessitate Sacramenti, quòd hæc consecratio fiat ab Episcopo, sic ut non possit simplex Sacerdos ex dispensatione Papæ illam perficere. Secunda quæstio involvit primam; stat enim chrisma debere benedici, si probetur esse necessario ab Episcopo benedicendum, seu consecrandum. Undè

Dico: Probabile est, esse de necessitate Sacramenti, quòd chrisma sit ab Episcopo consecratum, ità ut simplex Sacerdos non possit etiam ex dispensatione Pontificis illud validè consecrare. Est communior antiquorum Scholasticorum, cui contradicunt Scotistæ cum suo Duce, & plures recentiores, etiam quidam Thomistæ. Videtur tamèn esse D. Thom. nàm, postquàm hic Art. 3. in arg. s. c. & ad 3. formalitèr dixit, requiri ad Sacramentum, quòd chrisma sit benedictum ab Episcopo, sibi 1. loco objicit, hoc argumentum: non est *de necessitate Bptismi* quod aqua sit consecrata: ergo nec est *de necessitate Confirmationis*, quòd chrisma sit *per Episcopum consecratum.* Non respondet concedendo totum, sicut debuisset concedere, si censuisset cum Adversariis; hoc enim ipsi argumento utuntur pro sua sententia; sed concedit Antecedens, & negat Conseq. disparitatemque exhibet in corpore articuli, quòd aqua priùs fuerit consecrata a Christo, vel tactu suæ carnis, vel Baptismum ministrando, non verò chrisma, ut mòx ampliùs dicam in argumento à ratione, quod est S. Doctoris.

Prob. 1. Ex laudato Decreto Conc. Flor. pro Armenis, ubi definitur eodem tenore, materiam Sacramenti Confirmationis esse chrisma benedictum ab Episcopo; quo definitur, esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Et infrà dicit, quòd, licèt legatur aliquandò per Apostolicæ Sedis dispensationem simplicem Sacerdotem Confirmationem administrasse; hoc tamèn debuerit fieri *in chrismate per Episcopum confecto*; apertè innuens, quod, licèt Pontifex possit dispensare quoad ministrum hujus Sacramenti, non tamèn quòad ministrum consecrationis chrismatis. Conc. Carthag. 3. can. 36. *Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret: chrisma verò nunquàm conficiat*: ergo nec consulto Episcopo. Idem Conc. Wormatiense can. 2. *Soli Episcopo hæc dignitas concessa est.*

Prob. 2. Ex constantini, & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ constat ex S. Dionysio de Eccl. Hierarch. ex Innoc. I. ad Decentium, Conc. Carthag. 2. can. 4. Hispal. 2. can. 7. Tolet. 1. can. 20. Braccarensi 1. can. 37. Tertull. de Bap. Cypr. Ep. 70. Optato libr. 7. Cyrillo Catechesi 3. S. Leon. Ep. ad Episcopos Germ. & Galliæ, ex Sacramentario S. Greg. Ordine Rom. Pontificali, & omnibus Ritualibus: qui omnes tradunt, benedictionem chrismatis solis Episcopis licere; quod cum aliter factum nusquàm certò legatur, probabile est id esse de necessitate Sacramenti. Adde Clementem VI. in Litteris ad Patriarcham Armenorum apud Raynaldum ad ann. 1351. in quibus inter plura sic interrogat: *Primò de consecratione chrismatis, si credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, potest chrisma ritè, & debitè consecrari?*

Accedit rario congrua. (*Ibid. art. 3. o.*) Priusquàm res aliqua permanens, & corporea, de se indifferens, applicetur ad causandam instrumentalitèr gratiam, convenit, ut fiat aliquò modo sacra, eleveturque ritu religioso ad rationem instrumenti gratiæ: ergo materia Sacramenti, quæ non fuit a Christo ipso usu, aut ejus tactu consecrata, congruentèr debet consecrari idque per Episcopum, qui gerit in Ecclesia personam Christi; atqui, licèt Christus consecraverit materiam Baptismi, vel illius usu vel tactu carnis suæ in Jordane, & materiam Eucharistiæ illam conficiendo, non tamèn materiam Confirmationis, quam nunquàm administravit: ergo.

Solvuntur objectiones.

OBj. 1. Conc. Tolet. 1. can. 20. sic statuit: *Quamvis penè ubiquè custodiatur, ut absquè Episcopo chrisma nemo conficiat; tamèn, quia in aliquibus locis, vel provinciis Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere.* Concilium non declarat irritam consecrationem chrismatis factam a Presbytero; neque ad jus di-